

CLASSICS PART IA

EASTER TRANSLATIONS

BOOKLET ONE: OVID

Amores x 5

Tristia x 5

Ars Amatoria x 5

Ovid arranges a secret language with his girlfriend for communicating in the presence of her husband.

cum premet ille torum, vultu comes ipsa modesto
 ibis, ut accumbas – clam mihi tange pedem!
me specta nutusque meos vultumque loquacem;
 excipe furtivas et refer ipsa notas.
verba superciliis sine voce loquentia dicam;
 verba leges digitis, verba notata mero.
cum tibi succurret Veneris lascivia nostrae,
 purpureas tenero pollice tange genas.
siquid erit, de me tacita quod mente queraris,
 pendeat extrema mollis ab aure manus.
cum tibi, quae faciam, mea lux, dicamve, placebunt,
 versetur digitis anulus usque tuis.
tange manu mensam, tangunt quo more precantes,
 optabis merito cum mala multa viro.
quod tibi miscuerit, sapias, bibat ipse, iubeto;
 tu puerum leviter posce, quod ipsa voles.
quae tu reddideris ego primus pocula sumam,
 et, qua tu biberis, hac ego parte bibam.

(Ovid, *Amores*)

Ovid agonizes about his girlfriend being intimate with her husband in his presence. (continued from previous passage)

si tibi forte dabit, quod praegustaverit ipse,
 reice libatos illius ore cibos.
nec premat inpositis sinito tua colla lacertis,
 mite nec in rigido pectore pone caput;
nec sinus admittat digitos habilesve papillae;
 oscula praecipue nulla dedisse velis!
oscula si dederis, fiam manifestus amator
 et dicam 'mea sunt!' iniciamque manum.
haec tamen adspiciam, sed quae bene pallia celant,
 illa mihi caeci causa timoris erunt.
nec femori committe femur nec crure cohaere
 nec tenerum duro cum pede iunge pedem.
multa miser timeo, quia feci multa proterve,
 exemplique metu torqueor, ecce, mei.
saepe mihi dominaeque meae properata voluptas
 veste sub iniecta dulce peregit opus.
vir bibat usque roga – precibus tamen oscula desint! –
 dumque bibit, furtim si potes, adde merum.
cum surges abitura domum, surgemus et omnes,
 in medium turbae fac memor agmen eas.
agmine me invenies aut invenieris in illo:
 quidquid ibi poteris tangere, tange, mei.

(Ovid, *Amores*)
with omissions

Ovid beseeches his girlfriend's chaperone (a slave) to ignore her husband's orders and to guard his mistress less closely.

hesterna vidi spatiantem luce puellam
illa, quae Danai porticus agmen habet.
protinus, ut placuit, misi scriptoque rogavi.
rescripsit trepida 'non licet!' illa manu;
et, cur non liceat, quaerenti reddita causa est,
quod nimium dominae cura molesta tua est.
si sapis, o custos, odium, mihi crede, mereri
desine; quem metuit quisque, perisse cupit.
vir quoque non sapiens; quid enim servare labore,
unde nihil, quamvis non tueare, perit?
sed gerat ille suo morem furiosus amori
et castum, multis quod placet, esse putet;
huic furtiva tuo libertas munere detur,
quam dederis illi, reddat ut illa tibi.
consciis esse velis – domina est obnoxia servo;
consciis esse times – dissimulare licet.
scripta leget secum – matrem misisse putato!
venerit ignotus – postmodo notus erit.
ibit ad adfectam, quae non languebit, amicam:
visat! iudiciis aegra sit illa tuis.
si faciet tarde, ne te mora longa fatiget,
inposita gremio stertere fronte potes.

(Ovid, *Amores*)

Ovid ridicules the false chastity engendered by husbands guarding their wives too closely.

dure vir, inposito tenerae custode puellae
nil agis; ingenio est quaeque tuenda suo.
siqua metu dempto casta est, ea denique casta est;
quae, quia non liceat, non facit, illa facit!
ut iam servaris bene corpus, adultera mens est;
nec custodiri, ne velit, ulla potest.
nec corpus servare potes, licet omnia claudas;
omnibus exclusis intus adulter erit.
cui peccare licet, peccat minus; ipsa potestas
semina nequitiae languidiora facit.
desine, crede mihi, vitia inritare vetando;
obsequio vinces aptius illa tuo.
vidi ego nuper equum contra sua vincla tenacem
ore reluctanti fulminis ire modo;
constitit ut primum concessas sensit habenas
frenaque in effusa laxa iacere iuba!
nitimur in vetitum semper cupimusque negata;
sic interdictis imminet aeger aquis.
Penelope mansit, quamvis custode carebat,
inter tot iuvenes intemerata procos.

(Ovid, *Amores*)
with omissions

Ovid argues that closely guarded girls attract more interest than any others, irrespective of looks; and if the thought of infidelity is a source of such anxiety, it would be better to marry ugly girls. (continued from previous passage)

quidquid servatur cupimus magis, ipsaque furem
cura vocat; pauci, quod sinit alter, amant.
nec facie placet illa sua, sed amore mariti;
nescio quid, quod te ceperit, esse putant.
non proba fit, quam vir servat, sed adultera cara;
ipse timor pretium corpore maius habet.
indignere licet, iuvat inconcessa voluptas;
sola placet, 'timeo!' dicere siqua potest.
nec tamen ingenuam ius est servare puellam –
hic metus externae corpora gentis agat!
scilicet ut possit custos 'ego' dicere 'feci,'
in laudem servi casta sit illa tui?
quo tibi formosam, si non nisi casta placebat?
non possunt ullis ista coire modis.
si sapis, indulge dominae vultusque severos
exue, nec rigidi iura tuere viri,
et cole quos dederit – multos dabit – uxor amicos.
gratia sic minimo magna labore venit;
sic poteris iuvenum convivia semper inire
et, quae non dederis, multa videre domi.

(Ovid, *Amores*)
with omissions

Ovid struggles to leave Rome on the night before his exile.

quid facerem? blando patriae retinebar amore,
ultima sed iussae nox erat illa fugae.
a! quotiens aliquo dixi properante 'quid urges?
uel quo festinas ire, uel unde, uide.'
a! quotiens certam me sum mentitus habere
horam, propositae quae foret apta uiae.
ter limen tetigi, ter sum reuocatus, et ipse
indulgens animo pes mihi tardus erat.
saepe 'uale' dicto rursus sum multa locutus,
et quasi discedens oscula summa dedi.
saepe eadem mandata dedi meque ipse fefelli,
respiciens oculis pignora cara meis.
denique 'quid propero? Scythia est, quo mittimur', inquam,
'Roma relinquenda est, utraque iusta mora.
uxor in aeternum uiuo mihi uiua negatur,
et domus et fidae dulcia membra domus,
quosque ego dilexi fraterno more sodales,
o mihi Thesea pectora iuncta fide!
dum licet, amplectar: numquam fortasse licebit
amplius; in lucro est quae datur hora mihi.'
nec mora sermonis uerba imperfecta relinquo,
complectens animo proxima quaeque meo.

(Ovid, *Tristia*)

Dawn arrives and Ovid is finally forced to leave. (continued from previous passage)

tum uero coniunx umeris abeuntis inhaerens
miscuit haec lacrimis tristia uerba suis:
'non potes auelli: simul ah! simul ibimus', inquit,
'te sequar et coniunx exulis exul ero.
et mihi facta uia est, et me capit ultima tellus:
accedam profugae sarcina parua rati.
te iubet e patria discedere Caesaris ira,
me pietas: pietas haec mihi Caesar erit.'
taliam temptabat, sicut temptauerat ante,
uixque dedit uictas utilitate manus.
egredior (siue illud erat sine funere ferri?)
squalidus inmissis hirta per ora comis.
illa dolore amens tenebris narratur obortis
semianimis media procubuisse domo,
utque resurrexit foedatis puluere turpi
crinibus et gelida membra leuauit humo,
se modo, desertos modo complorasse Penates,
nomen et erepti saepe uocasse uiri,
nec gemuisse minus, quam si nataeque meumque
uidisset structos corpus habere rogos,
et uoluisse mali moriendo ponere sensum,
respectuque tamen non potuisse mei.
uiuat et absentem, quoniam sic fata tulerunt,
uiuat ut auxilio subleuet usque suo.

(Ovid, *Tristia*)

Ovid, in exile, is caught in a violent storm and is thankful that his wife knows nothing of this additional hardship.

at pia nil aliud quam me dolet exule coniunx:
hoc unum nostri scitque gemitque mali.
nescit in inmenso iactari corpora ponto,
nescit agi uentis, nescit adesse necem.
o bene, quod non sum mecum conscendere passus,
ne mihi mors misero bis patienda foret!
at nunc ut peream, quoniam caret illa periclo,
dimidia certe parte superstes ero.
ei mihi, quam celeri micuerunt nubila flamma!
quantus ab aetherio personat axe fragor!
nec leuius tabulae laterum feriuntur ab undis,
quam graue ballistae moenia pulsat onus.
qui uenit hic fluctus, fluctus supereminet omnes:
posterior nono est undecimoque prior.
nec letum timeo; genus est miserabile leti;
demite naufragium, mors mihi munus erit.
est aliquid, fatoue suo ferroue cadentem
in solida moriens ponere corpus humo,
et mandare suis aliqua et sperare sepulcrum
et non aequoreis piscibus esse cibum.

(Ovid, *Tristia*)

Ovid suggests that his own hardships make for better reading than those of Odysseus, being greater and more numerous.

scire meos casus siquis desiderat omnes,
plus, quam quod fieri res sinit, ille petit.
tot mala sum passus, quot in aethere sidera lucent
paruaque quot siccus corpora puluis habet;
multaque credibili tulimus maiora ratamque,
quamuis acciderint, non habitura fidem.
pars etiam quaedam mecum moriatur oportet,
meque uelim possit dissimulante tegi.
si uox infragilis, pectus mihi firmitus aere,
pluraque cum linguis pluribus ora forent,
non tamen idcirco complecterer omnia uerbis,
materia uires exsuperante meas.
pro duce Neritio docti mala nostra poetae
scribite: Neritio nam mala plura tuli.
ille breui spatio multis errauit in annis
inter Dulichias Iliacasque domos:
nos freta sideribus totis distantia mensos
sors tulit in Geticos Sarmaticosque sinus.
ille habuit fidamque manum sociosque fideles:
me profugum comites deseruere mei.

(Ovid, *Tristia*)

Ovid continues his comparison between his own hardships and those of Odysseus. (continued from previous passage)

ille suam laetus patriam uictorque petebat:
a patria fugi uictus et exul ego.
nec mihi Dulichium domus est Ithaceue Samosue,
poena quibus non est grandis abesse locis,
sed quae de septem totum circumspicit orbem
montibus, imperii Roma deumque locus.
illi corpus erat durum patiensque laborum:
inualidae uires ingenuaeque mihi.
ille erat assidue saeuus agitatus in armis:
adsuetus studiis mollibus ipse fui.
me deus oppressit, nullo mala nostra leuante:
bellatrix illi diua ferebat opem.
cumque minor Ioue sit tumidis qui regnat in undis,
illum Neptuni, me Iouis ira premit.
adde, quod illius pars maxima ficta laborum,
ponitur in nostris fabula nulla malis.
denique quaesitos tetigit tamen ille Penates,
quaeque diu petiit, contigit arua tamen:
at mihi perpetuo patria tellure carendum est,
ni fuerit laesi mollior ira dei.

(Ovid, *Tristia*)

Education and eloquence trump beauty.

non formosus erat, sed erat facundus Ulixes,
et tamen aequoreas torsit amore deas.
a quotiens illum doluit properare Calypso,
remigioque aptas esse negavit aquas!
haec Troiae casus iterumque iterumque rogabat:
ille referre aliter saepe solebat idem.
litore constiterant: illic quoque pulchra Calypso
exigit Odrysii fata cruenta ducis.
ille levi virga (virgam nam forte tenebat)
quod rogat, in spisso litore pingit opus.
'haec' inquit 'Troia est' (muros in litore fecit):
'hic tibi sit Simois; haec mea castra puta.
campus erat' (campumque facit), 'quem caede Dolonis
Sparsimus, Haemonios dum vigil optat equos.
illic Sithonii fuerant tentoria Rhesi:
hac ego sum captis nocte revectus equis.'
pluraque pingebat, subitus cum Pergama fluctus
abstulit et Rhesi cum duce castra suo.
tum dea 'quas' inquit 'fidas tibi credis ituro,
perdiderint undae nomina quanta, vides?'

(Ovid, *Ars Amatoria*)

Absence makes the heart grow fonder: but don't overdo it.

cum tibi maior erit fiducia, posse requiri,
cum procul absenti cura futurus eris,
da requiem: requietus ager bene credita reddit,
terraque caelestes arida sorbet aquas.
Phyllida Demophoon praesens moderatius ussit:
exarsit velis acrius illa datis.
Penelopen absens sollers torquebat Ulixes;
Phylacides aberat, Laodamia, tuus.
sed mora tuta brevis: lentescunt tempore curae,
vanescitque absens et novus intrat amor.
dum Menelaus abest, Helene, ne sola iaceret,
hospitis est tepido nocte recepta sinu.
quis stupor hic, Menelae, fuit? tu solus abibas,
isdem sub tectis hospes et uxor erant.
accipitri timidas credis, furiose, columbas?
plenum montano credis ovile lupo?
nil Helene peccat, nihil hic committit adulter:
quod tu, quod faceret quilibet, ille facit.
cogis adulterium dando tempusque locumque;
quid nisi consilio est usa puella tuo?
quid faciat? vir abest, et adest non rusticus hospes,
et timet in vacuo sola cubare toro.
viderit Atrides: Helenen ego crimine solvo:
usa est humani commoditate viri.

(Ovid, *Ars Amatoria*)

Hell hath no fury like a woman scorned: Ovid suggests some ways of concealing amorous affairs from volatile girlfriends.

sed neque fulvus aper media tam saevus in ira est,
fulmineo rabidos cum rotat ore canes,
nec lea, cum catulis lactentibus ubera praebet,
nec brevis ignaro vipera laesa pede,
femina quam socii deprensa paelice lecti:
ardet et in vultu pignora mentis habet.
in ferrum flammisque ruit, positoque decore
fertur, ut Aonii cornibus icta dei.
hoc bene compositos, hoc firmos solvit amores;
crimina sunt cautis ista timenda viris.
nec mea vos uni damnat censura puellae:
di melius! vix hoc nupta tenere potest.
ludite, sed furto celetur culpa modesto:
gloria peccati nulla petenda sui est.
nec dederis munus, cognosse quod altera possit,
nec sint nequitiae tempora certa tuae.
et, ne te capiat latebris sibi femina notis,
non uno est omnis convenienda loco;
et quotiens scribes, totas prius ipse tabellas
inspice: plus multae, quam sibi missa, legunt.

(Ovid, *Ars Amatoria*)
with omissions

Ovid advises that there may be a paradoxical advantage in revealing one's infidelity to *certain* types of girlfriend.

(Continued from previous passage)

qui modo celabas monitu tua crimina nostro,
flecte iter, et monitu detege furta meo.
nec levitas culpanda mea est: non semper eodem
impositos vento panda carina vehit.
sunt quibus ingrate timida indulgentia servit,
et, si nulla subest aemula, languet amor.
fac timeat de te, tepidamque recalface mentem:
palleat indicio criminis illa tui;
o quater et quotiens numero comprehendere non est
felicem, de quo laesa puella dolet:
quae, simul invitas crimen pervenit ad aures,
excidit, et miserae voxque colorque fugit.
ille ego sim, cuius laniet furiosa capillos:
ille ego sim, teneras cui petat ungue genas,
quem videat lacrimans, quem torvis spectet ocellis,
quo sine non possit vivere, posse velit.
si spatium quaeras, breve sit, quo laesa queratur,
ne lenta vires colligat ira mora;
candida iamdudum cingantur colla lacertis,
inque tuos flens est accipienda sinus.
oscula da flenti, Veneris da gaudia flenti,
pax erit: hoc uno solvitur ira modo.
cum bene saevierit, cum certa videbitur hostis,
tum pete concubitus foedera, mitis erit.

(Ovid, *Ars Amatoria*)
with omissions

It is not appropriate to ask a girl's age – and, anyway, the experience of an older woman surely has its appeal.

nec quotus annus eat, nec quo sit nata, require,
 consule, quae rigidus munera Censor habet:
praecipue si flore caret, meliusque peractum
 tempus, et albentes iam legit illa comas.
utilis, o iuvenes, aut haec, aut serior aetas:
 iste feret segetes, iste serendus ager.
adde, quod est illis operum prudentia maior,
 solus et artifices qui facit, usus adest:
illae munditiis annorum damna rependunt,
 et faciunt cura, ne videantur anus.
utque velis, venerem iungunt per mille figuras:
 invenit plures nulla tabella modos.
illis sentitur non inritata voluptas:
 quod iuвет, ex aequo femina virque ferant.
odi concubitus, qui non utrumque resolvunt;
 hoc est, cur pueri tangar amore minus.
odi quae praebet, quia sit praebere necesse,
 siccaque de lana cogitat ipsa sua.
quae datur officio, non est mihi grata voluptas:
 officium faciat nulla puella mihi.
me voces audire iuvat sua gaudia fassas,
 quaeque morer meme sustineamque rogent.
aspiciam dominae victos amentis ocellos:
 langueat, et tangi se vetet illa diu.
haec bona non primae tribuit natura iuventae,
 quae cito post septem lustra venire solent.
qui properant, nova musta bibant: mihi fundat avitum
 consulibus priscis condita testa merum.
scilicet Hermionen Helenae praeponere posses,
 et melior Gorge, quam sua mater, erat?
at venerem quicumque voles adtingere seram,
 si modo duraris, praemia digna feres.

(Ovid, *Ars Amatoria*)
with omissions